

nobiles, & qui qualificatos habeant natales, vel fortunæ gradus, aut bona, ignobilissimum tamen, ac infamem habent animum, indignosque mores, dum, vel ex genio, vel ob turpe lucrum, istud infame munus, nimium diligenter peragunt; Ita etenim criminosi facilius inquiruntur, adeòvt, iuxta aliquorum curiosorum traditionem, in omni hominum statu ad sint de hoc genere exploratorum, nullaque penè adesse videatur domus, vel familia Cardinalium, vel Oratorum Principum, sive Magnatum, aliorumque nobilium virorum, in qua non ad sit Curiae minister, atq; occultus explorator, qui tamen frequentius ipsi Domino seu patris familias cognitus esse solet, sed toleratur, ut ita habeatur stimulus bene vivendi; Et utinam in nostra quoque professione, vel genere non ad essent, ut non adesse credendum, ac sperandum est; Ipse vero stylus habendi hos ministros, & operarios est commendabilis, & proficuus pro publica quiete.

- 7 An, & quam participationem cum ipsis habeat Senator.
- 8 De officijs vacabilibus Populi, seu Capitalijs.
- 9 De Tribunalis seu foro contentioso Capitulo, & ex quibus constituantur.
- 10 De Capitaneo appellationis, & quod non detur ulterior appellatio.
- 11 Sed quod cause diuturnam habeant durationem, & quare.
- 12 De consultoribus assumi solitis.
- 13 Est forus competens ciuium & incolarum secularium, sed quare modicas tra- ctes causas graues.
- 14 Improbatur praxis, ac etiam Statutum, ut in Urbe seruari debeat ius ciuile, & de ipsis statuti ratione.
- 15 Quod deberet mutari praxis.
- 16 De cognitione causarum criminalium.
- 17 Quare eius stylus non recensantur.
- 18 De Statutis Urbis.
- 19 De districtu Urbis.
- 20 Habet Senator audientiam Pope.
- 21 De Prærogatiua Populi Romani, seu eius Conseruatorum dandi libertatem seruis qui Capitolium ascendant.


## DISC. XXXVII.



## De Senatore Urbis, aliisque officialibus fori Capitolini;

S V M M A R I V M .

- D**e significatione huius vocabuli Senatoris.
- 2 De eius introductione, ac potestate.
- 3 Quo tempore officium duret, & de quaesitatis ad illud necessarijs.
- 4 Quod antiquitus etiam Reges, & Principes hoc munus exercebant.
- 5 De Capitolio Romano, etusque duobus partibus, vel corporibus.
- 6 De conseruatoribus Populi, eiusque Camera, & de Priore.



Llud Senatoris nomen, seu vocabulum, quod in antiqua Republica Romana in usu erat, diuersa habet significationem, diuersemque redolent dignitatem, ab hodierno Senatore Urbis, de quo in praesenti agitur; Tunc etenim significabat unum ex illis senioribus, vel consiliariis, qui illum constituebant prudentiorum virorum cœtum, penes quem Reipublicæ regimen residebat, cui Senator nomen tribuebatur. Et cuius, quamdam imaginem (cum debita proportione alibi insinuata) in hodierna Romana Republica ecclesiastica, præfert Collegium Cardinalium. A

Hodierni vero Senatoris diuersa est origo; Postquam enim pluriū sæculorum spatio, antiquus ille Senator, omnino dissolutus erat, penesq; in obliuionem obiisse; Non quidem pro publico seu politico regimine Reipublicæ constituentis supremum principatum plurium Ciuitatum P.2. Relat. Cc ac

A. supra disc. 4. &amp; 5.

ac prouinciarum, sed pro ipsius Romanæ tantum Ciuitatis, eiusque particula-  
ris territorij, vel districtus, ciuili, seu e-  
thico, vel priuato regimine, à quatuor,  
vel quinque sœciis circiter neglecta,  
opinionum varietate super numero in-  
ipsa primæua introductione) iste magi-  
stratus vsu haberi caput, cui antiqui vr-  
bani Prætoris assimilatio, quæ ab ali-  
quibus datur, magis congrua vide-  
tur, vt scilicet denotet Ciuitatis tan-  
tum, eiusque priuati populi illum tem-  
porale magistratum, cui profrequentio-  
ri moderno vsu Italiæ, Gubernatoris no-  
men tribuitur, dum de sui natura ad formam Statutorum Vrbis, officium est an-  
nale, sindicatu subiectum, atque ciuibus,  
vel incolis prohibiti, & non conferen-  
dum, nisi forensibus, quorum patria, ad-  
minus distet ultra ambitum quadraginta  
milliarum, dum intra illum contineri  
dicitur eiusdem Vrbis districtum, qui  
idem significat, ac territorium, quod ci-  
uicam redolet qualitatem. B.

Bene verum, quod præsertim circa  
præfati annalis temporis præsentionem,  
Apostolicæ dispensationes diuersam do-  
cent praxim, quod scilicet duratio huius  
officij à Papæ arbitrio pender, eodem  
modo quo deputatio, atque mutatio ra-  
ra in eodem Pontifice esse solet; Et alii  
quando, ac præsertim iuxta hodiernam  
obseruantiam (ita merito exigentibus  
qualitatibus eius qui locum dignè occu-  
pat), trium Pontificum continuationem  
praxis docet.

Antiquiori tempore, quando, ob re-  
rum Italiæ motus, magna que scissuras,  
Romanus populus, aliquas antiquæ liber-  
tatis, & Republicæ reliquias, vel scintil-  
las reassumpserat; Ita senatoria digni-  
tas, longè maioris auctoritatis, ac existi-  
mationis erat, dum politicum seu publi-  
cum regimen quoque admixtum habe-  
bat, adeòvt etiam Rege, magnique  
Principes, non dedignarentur hunc ma-  
gistratum assumere, & exercere, vt præ-  
sertim in Carolo Siciliæ Reges aliquæ  
Principibus sequutum esse, docent His-  
torici, & pleraque alia monumenta. C.

Hodiè verò, cum omnimoda subie-  
ctione, ac dependentia Papæ, à cuius nu-  
tu deputatio, ac remoto pendet, est lo-

rum quidam maior magistratus seu caput  
vel Prætori capitolini; Isteque forus,  
duo constituit diuersa corpora, siue duas  
diuersas partes continet.

Vna siquidem, Romani Capitolij pars  
est illa, cui ciuili, vel æconomica Ciui-  
tatis & populi, eiusque Cameræ, seu æra-  
rij administratio incumbit, cum aliqua  
modica iurisdictione, quæ huic publicæ  
administrationi connaturalis esse vbiq;  
videtur, penes illum Magistratum, qui  
singularum Ciuitatum, & locorum com-  
munitatem administrat; Istaque pars, seu  
corpus, constituit ex tribus viris ut  
plurimum nobilibus, qui origine, vel do-  
micio sint ciues Romani, & qui Conser-  
vatores Populi appellantur, modicam,  
pro sui regulari natura durationem ha-  
bentes trium mensium tantum, iuxta pe-  
ne genericum usum temporalis Ditionis,  
Ecclesiæ, quando Apostolica dispensatio,  
siue superueniens impedimentum vaca-  
tionis Sedis Papalis, maiorem duratio-  
nem non causet; Hisque tribus officiali-  
bus, adiunctus est, cum eadem præemi-  
nentia, circa habitum, & quosdam hono-  
rificos tractatus, alter officialis, cui Prioris  
nomē tribuitur, quia nēpē est primus in-  
ter quatuordecim Regionarios, seu Duce,  
vel Capita quatuordecim regionum, in  
quas Romana Ciuitas diuisa est; Coequa-  
lem tamen non habet participationem  
in administratione, quæ solum, ac prin-  
cipaliter residet penes tres Conservato-  
res, qui tribus cuiuslibet hebdomadę die-  
bus, collegialem residentiam faciunt in  
ea palati capitolini parte laterali pro-  
pè rupem Tarpeyā, quæ ipsis assignata est,  
vt negotia populi seu communitatis per-  
tractent, ac expediant; More Principis,  
cum magno decore, prandium ibi habē-  
do, ac habētes apud se, tanquam consilia-  
rium, vel assessorem, unum Iuris consul-  
tum, cui Aduocati populi nomen tribui-  
tur; Et alterū practicum causidicum, qui  
Procurator fiscalis appellatur; Ac etiam  
Secretarium, seu Cancellerium, qui Scribae  
Senatus nomen obtinet, ultra plures, me-  
dij, ac infimi ordinis familiares, seruitio  
oportunos, iuxta Principum, seu Magna-  
tum morem.

Quamvis autem, in quibusdam publi-  
cis functionibus, quæ nomine Populi  
fiant,

fiant, eius magistratum repræsentando,  
Senator, cum eis interueniat, primum  
occupando locum, tanquam caput, sed  
cum magis honorifico, maiorisque maie-  
statis indumento, cum togā scilicet, feri-  
co, & auro intexta, vulgo brocato, dum  
ipsi Conservatores ac Priors aliam adhi-  
bent diuersam togam breviorem, ex feri-  
co tantum contextam, nigri coloris; At-  
tamen in ijs quæ concernunt, Communi-  
tatis, & Cameræ Populi administratio-  
nem, ille participationem aliquam non  
habet, neque in publicis inscriptionibus,  
vel edictis, eius nominis, seu dignitatis  
mixtura habetur.

Huic autem Cameræ sub dicti Magi-  
stratus administratione, competunt, seu  
ab eo dependentiam habent, quampluram  
officia venalia vacabilia, de quibus, ad in-  
flat officiorum vacabilium Curiæ Roma-  
næ, seu Cancelleriae, vel Cameræ Apo-  
stolicæ in Regalium sede actum habe-  
tur. D.

Altera verò Capitolij pars, est iurisdi-  
ctionalis, super administratione scilicet  
iustitiae, ac iudicali contentiose cogni-  
tione causarum, ciuilium, & criminalium,  
Populi secularis, seu ciuium, & incola-  
rum secularium Vrbis, eiusque districtus,  
iuxta illud munus, quod singularum Ci-  
uitatum Gubernatores vel Correctores  
exercent, istudque dicitur Tribunal fori  
capitolini.

Constituitur autem hoc Tribunal, ex  
dicto Senatore, tanquam eius Præfecto,  
seu capite, & ex pluribus alijs officialibus  
tanquam eius assessoriis, & auxiliariis;  
Duobus scilicet togatis Iuris Professori-  
bus pro cognitione causarum ciuilium,  
qui Collaterales nuncupantur, cum ordi-  
ne inter eos, quod unus primus, & alter  
secundus Collateralis dicuntur, & ex  
altero pariter togato, qui est Iudex  
maleficiorum, eodem modo quo di-  
ctum est de Auditore Cameræ, ha-  
bente tres Locum tenentes, duos scilicet  
in ciuibus, & unum in criminali-  
bus.

Dictorum autem Collateralium singu-  
li, audientiam publicam, singulis diebus  
non feriatis, de mane, tenent in aula ma-  
gna, quæ vulgo sala nuncupatur illius  
maioris ac nobilioris partis palati quæ

est in capite fori, seu clivi capitolini, in  
qua Senator, ipsique Conservatores, ac  
Index, habitationem habent; Extra verò  
hanc publicam audientiam, causas, quæ  
ad eos respectivè pertinent, iuxta distri-  
butionem Notariorum eiusdem fori,  
priuato more disputant, & cognoscunt,  
vel in eiusdem palati priuatis aulis, qua-  
tenus ibi continuò habitare eligant, vel in  
alia propriæ habitationis domo priuata

Quando autem una Partiu id petat; Siue  
quod pro eiusdem Tribunalis praxi, & sty-  
lis, vel ex statutis Vrbis, ob causæ natu-  
ram, vel qualitatem, illius cognitio, col-  
legialiter à toto Tribunalis facienda sit;

Tunc id sequitur in aula Senatoris, ipso  
præsidente, cum predictorum Collatera-  
lium, & Iudicis maleficiorum, & fisca-  
lis assistentia, in forma Tribunalis colle-  
giati, audiendo Partium Aduocatos &  
Procuratores, etiam in contradicitorio;  
Istaque Congregatio, sub nomine Asset-  
tamenti explicatur.

Alter quoque huius Tribunalis officia-  
lis adest togatus (vt sunt præfati Collate-  
rales, & Iudex criminalis) qui dicitur

capitaneus appellationum, quod scilicet,  
à sententijs, vel decretis Senatoris, ac di-  
ctorum Collateralium tanquam ludicium  
prime instantie, ad istum appellatur;  
tanquam ad Iudicem secundum, à quo vi-  
terior appellatio non datur ob statutum  
Vrbis, per quod duabus conformibus  
illa tribuitur vis vel operatio quæ per ius  
commune tribus concessa est.

Adhuc tamen, vel ob dissimilitatem,  
vel ob ordinariū remedium nullitatis,  
sive ob extraordinarium restitutiois in  
integrum, quod pro istius praxis inex-  
tricabili labyrintho, dupliciter intenta-  
ri solet, principaliter nempè, & inciden-  
ter) longam ac diuturnam durationem,  
nimiamque instantiarum pluralitatem  
cause patiuntur, intra circulum tamen  
iporum officialium. Vel scilicet ipso Se-  
natore cognitionem assumente; Vel ad  
aliquem ex Collateralibus, aut ad ipsum  
Capitaneum appellationis redeundo;

Quando tamen cognitionem assumat Se-  
nator, qui sive ex eo quod non soleat  
esse iuris professor, sive pro officij decore  
ac maiestate, sibi assumere solet, ali-  
quem Prælatum, vel Aduocatum, sive  
P.z Relat. Cc 2

causarum Patronum in consultorem, vel istū deputare solet alicui ex Collateralibus, vel Capitaneo appellationum, quando agatur de illis causis, in quibus iam aliás iudicauerint; Siue quod partium recusatio accedit, vnde propterea, spe-  
cato effectu, iste consultor est in ea instantia, cause Index, dum iuxta eius votum est sententianandum.

Quamvis autem iste forus capitolinus, dicatur proprius, magisque compe-  
tens, ciuum & incolarum secularium, vrbis, non autem Ecclesiarum, vel personarum ecclesiasticarum, cum sit magistratus merē secularis, adeōt vna Partium iudicium instituente in alio Tribunali iuridicē altera Parte petente, ad istud, remissio fieri debeat; At tamen frequentior praxis de facto docet, magis verō ab aliquo moderno tempore, quod ad alias breviores causas, plebis, sēu populi minutis, istius Tribunalis cogitatio restricta videatur; Vel quia, ob clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, ac etiam curialium, & forensium, aliorumque priuilegiorum copiam, nimirū rarae videantur causae, in quibus aliarum personarum diversi generis ut supra, non verificetur mixtura; Vel quia obligatio in forma Cameræ Apostolicæ, aperiat locū priuatiis facultatibus Auditoris Cameræ, supra de ipso agendo insinuatis, dum ea de stylo in omnibus conventionibus, etiam priuatis adiicitur; Vel quia Partes concorditer aliud adeant Tribunal, & prælertim illud mos enunciatum Auditoris Cameræ, quod maiorem partem causarum ciuilium primæ instantie Vrbis reuerā peragit; Aut quod vbi contingat, vt aliqua grauis causa in isto Tribunalis introducta sit, de facili soleat Pontifex, vna Partium instanti, illam ab eo auocare, atque committere in Rota, siue istud Rotæ Tribunal ei tribuere in assessorem, & consultorem, vt scilicet de voto Rotæ procedatur, quod sonat in idem. E

Huius autem inconvenientis origo sēu causa est extraugantia praxis istius fori,  
14 Siquidē illius auctores, vel introductores ex eodem antiquiorū sensu, vel humore malenconico, ex quo, citra omnem

rationem, in ea Ciuitate, quæ est residen-  
tia Papæ, ac Metropolis vtriusque eius Pontificij, & temporalis principatus, per eius statuta induxerunt, vt iuris ciuilis potius, quam canonici dispositio at-  
tēdi debeat quod sequutum est ob diuer-  
situdem temporum, & circumstantiarum, cum id originem taxerit, quando Romanus populus, ita illorum temporum con-  
ditione exigente, cupiens primæcum li-  
bertatis statum assumere, pontificiam do-  
minationem abhorrebat, ipsius Ecclesiæ  
scismatis & schismatis huiusmodi sēsus  
cōfouentibus; Sed male huius praxis au-  
ctores, & introductores ita curia ut, anti-  
quas iuris ciuilis rigorosas, & supersti-  
tiosas iudicarias formulas restituere, ob  
temporum diuersitatem; Et quidem id  
reuera importat calumniarum fomentū, dum ob alias leues formalitates non  
benē seruatas in causis, quæ a pertam con-  
tineant iustitiam, facilis tribuitur aditus  
Reis conuentis, qui succumbentiam pas-  
si sunt, eorum calumnias, & connaturalia  
subterfugia confouere, totamq; iudicij,  
processus machinam, etiam per plures  
instantias, & cum pluribus sententijs,  
cum magna temporis ac sumptuum ia-  
ctura constructam destruere, quandam  
nimium ineptam & iudaicam practican-  
do propositionem, vt qui cadit à syllaba,  
cadat à toto; Atq; ex hac ratone, ego, qui  
circa suscepit aduocationis initia, con-  
sultor deputari frequenter consueveram,  
id expertus, in quadam causa iam per tres  
vel plures instantias conformes iusti-  
fimas determinata, ita ob quamdam le-  
uem & scrupulosam nullitatem ad pri-  
mæcum initium redacta, tale munus ac-  
ceptare perpetuō abhorri.

Hinc itaque manat, quod classici, &  
qualificati causarum Patroni, à quibus  
Iudicū, sēu Tribunalium electio, pro  
frequentiori vnu pendet, istius Tribuna-  
lis praxim penē imperceptibilem vtpotē  
redolentem speciem inextricabilis laby-  
rinthi, non callentes, neque addiscere cu-  
rantes, ita istum forum abhorrent, atq;  
in dicto Tribunalis Auditoris Cameræ,  
concorditer causas introducunt & agunt,  
vt inde ad Rotam aditus liber pateat in  
vteriori instantia Ideoq; etiam apud an-

ti-

E. præsertim in casu de quo sub tit. de fidei.  
commiss. disc. 55. & in alijs.

tiquos curiales, & praticos in vnu esse  
ijdem antiqui praxis Curiæ scriptores,  
testantur de se ipsis. F

Quare curialium, ac sensatorum viro-  
rum maiori, ac senioris parti, admira-  
tionem præbet, huius praxis tolera-  
ta continuatio; Commendatione siqui-  
dem digna est continuatio ipsius fori vel  
Tribunalis, pro maiestate Romani po-  
puli, ita antiqui Capitolij, adeō magnæ  
potentia, & existimationis, memoriam,  
vel reliquias retinendo; Sed commendatione  
dignum non reputatur, istam exor-  
bitantem, ac imperceptibilem praxim  
retinere, cum vnicā & eadem deberet  
esse praxis, valde bona, & commendabili  
Auditoris Cameræ.

In criminalibus quoq; licet istud Tri-  
bunal, tam in Vrbe, quam in vniuerso  
districtu, eodem modo, quo in ciuibus,  
cumulatiuam habeat etiam in prima in-  
stantia cum iudicibus ordinarijs fori se-  
cularis, cum iure præventionis, eodem  
modo quo supra agendo de Auditori  
Cameræ, ac de Vicario, & Gubernatore  
Vrbis dictum est; Vnde propterea pro-  
priam habet familiam armatam, cum suo  
Barisello distincto, suosque carceres; At-  
tamen raram habet causarum grauium  
cognitionem; Tum ob supra enunciatam  
frequentiorem mixturam personarum  
ecclesiasticarum, vel aliarum, quæ ab hoc  
foro exemptæ sint; Tum etiam quia, ob  
maiores Tribunalis Gubernatoris vigi-  
lantiam, longèque maiorem copiam, ac  
peritiam iudicū, & Notariorum, ma-  
gis verō exploratorum, ac ob maiorem  
numerum familie armatæ, illas penē sē-  
per Gubernator præuenire solet; Ex eo  
potissimè, quod illi, qui in rixa, vel appen-  
satē vulnerati, vel percussi sint, adire so-  
let hospitalia, aliae loca immunia, inqui-  
bus non datur aditus huius Tribunalis  
officialibus & ministris, tanquam merē  
secularibus, adeōt oportuerit, ac opor-  
teat pro indemnitate ac iuribus insignis  
Archicōfraternitatis Annuntiationis, ad  
quā pertinet officium Notarij criminalis  
huius fori capitolini, obtinere Apostolicū  
indultum, per literas in formabrevis, ad  
tempus innouari solitum, pro accessu ad  
ibi proximum hospitale Consolationis.

F. Heffr. lib. 2. cap. 15.

Atque his stantibus, cum etiam classi-  
cis causarum Patronis, multo verō ma-  
gis Aduocatis, penitus ignota sit huius  
17 fori praxis; Hinc sequitur, vt illa re-  
censeri non valeat, saltum in aliqua forma  
compendiosa, sed eius particulares tra-  
ctatores audeundi sunt. G

Regitur autem principaliter hoc Tri-  
bunal, cum Vrbis statutis, quæ proprié-  
18 continent leges municipales sēu parti-  
culares Ciuitatis, eiusque districtus, con-  
tradicuntas à legibus generalibus prin-  
cipiatis, quæ fiunt per Papam sub nomi-  
ne Bullarum vel Constitutionum.

Iste autem districtus, antiquiori tem-  
pore Romæ triumphantis, se protende-  
bat ad ambitum centum milliarium;  
Intermedio verō post dissolutionem Im-  
perij Romani, certam non habebat regu-  
lam, cum solum de districtu ea loca di-  
cerentur, in quibus Populus Romanus,  
quandam exigebat collectam, quæ foca-  
ticū nūcupabatur, cū quadam salis distri-  
butione; Hodiè verō occasione reforma-  
tionis statutorū, quæ sub Gregorio XIII.  
sequuta est ille in vniuerso ambitu tēpo-  
ralis Ditionis Ecclesiæ, est quadraginta  
milliarium, vt in regalum sede, ac alibi  
aduertitur. H

Habet item Senator audientiam Pa-  
pæ, & Cardinalis Nepotis statuta die  
cuiuslibet hebdomadę in die scilicet mer-  
20 curij, eodem modo quo Auditor Cameræ,  
alijsque officiales, quando negotiorum  
& causarum occasio vrgeat, quæ frequen-  
tius deesse solet.

Sicut autem ex antiquis moribus, aut  
verius ex Apostolicis indultis, Populus  
21 Romanus, eiusque vice, ac nomine di-  
ctus magistratus qui ex Conseruatoribus  
constituitur, facultatem habet conceden-  
ti libertatem seruis, qui Capitolium ascē-  
dant, eorumque conspectui se præsentēt;  
Atq; hinc resultat; vt in Vrbe seruorum  
vnu nō habeatur Atq; sepius in illis parti-  
bus, in quibus hicvnu habeatur, præsertim  
in locis maritimis, illis serui quibus id inno-  
tescat, solliciti esse solet, vt eorūdē domi-  
ni Vrbem adeant; Siue quod ijdem domi-  
ni, quibus id non innotescat, pro eorum  
seruitio seruos secum ducant, redeunt au-  
tem sine illis; Quoties cautelam non ad-  
hibeant

G. Lucas Petrus in praxi fori Capitolini.

H. tit. de Regal. disc. 72.

hibeant prius occurrendi, ac denunciandi, sive in eorum præiudicium, ipsique non concurrentibus, huiusmodi instantiae recipiantur, cum de super certa præzis præscripta habeatur.



### De Tribunalis Aedilium, seu Magistrorum viarum, earumdemque viarum Praefide.

#### S V M M A R I V M

- D**E hoc officio antiquo, & moderno,  
& de differentia.
- De differentijs, vel distinctionibus viarum.
- De introductione, vel restitutione huius magistratus in Urbe.
- Quod eidem commissa sunt causa retrahitum, & servitutum.
- De officialibus ex quibus hoc Tribunal constituitur.
- De questionibus circa refectiones viarum, & taxas, vel contributiones.
- De contributione exemptorum, & ecclesiasticorum.
- De Congregatione viarum, earumque Praefide.
- Quomodo habeant curam viarum rusticarum, seu campestrium.
- Et quomodo urbanarum in Ciuitate.
- De venditionibus victualium, & bonorum in locis propè vias, & plateas subtillicidij domorum.
- De alia iurisdictione circa maniana, & pensilia aedificia.
- Defacultate concedendi situs & loca publica.

#### D I S C . XXXVIII.

**A**dem differentia, quæ disc. precedenti insinuata est, inter hodiernum Vibis Senatorē, & Senatorē antiquae Republicæ Romæ, dignoscitur quoque in isto Magistratu, quoniam Aediles curules, scilicet viarum curatores dictæ antiquæ Republicæ, curam habebant omnium viarum, & pontium, per universum Orbem, qui ipsius Republicæ Imperio subiectus erat, ita gerendo has partes, iure Principis potius, quam iure Ciuitatis; Moderni verò Aediles, qui vulgo Magistri viarum appellantur, restitam habent iurisdictionem vel curam, intra Urbis territorium seu districtum, ideoque potius iure Ciuitatis; Postquam etenim Romanum Imperium dissolutum fuit, atque cessauit illa cura, quæ in hac materia viarum, & pontium, adeò diligenter habebatur, ut non obstante adeò diurni temporis edacitate, adhuc probent reliquæ, quas cernimus viarum, Appiæ, Flaminiaæ, & aliarum; Eodemque Imperio diuiso in tot principatus, quilibet Princeps in sua ditione, istam curam suscepit, cum ea distinctione, cum quæ probabile est, ut etiam antiquorum Romanorū temporibus procederetur, quod scilicet cura publica Principis, eius vice, istius magistratus, versaretur circa illas vias magis publicas, quæ totius Orbis, vel respectuè principatus communicationem concernunt; Et quæ, Basiliæ, seu Militares, vel Consulares in iure appellantur, hodie verò vulgo viæ Regiae, seu Magistræ, aut Romanæ; Singulæ verò Ciuitates, & loca, curam haberent aliarum viarum, & pontium in proprio territorio existentium, atque ad ciuium & incolarum commoditatem principaliiter deseruientium, vnde propterea, ad differentiam aliarum, quæ magis publicæ sunt, priuatæ dicuntur, quamvis in effectu sint etiam publicæ, cum diuersæ sit species aliarum viarum, quæ vere & propriè dici merentur priuatæ, ut in regalum sede aduertitur. A

Vtrumque autem munus, in ipsa Urbe, & lo-